tute — Landisperg, nomine Tute qui mortuus fuit sine herede et in Wissenfels sepultus.

+ f. CCLXVI d. — Hic Theodericus Dingwis et marchio de Landisberg et Missnensis una cum fratre suo Alberto Thuringie lantgravio et Frederico de Dresden eciam eorum fratre habuerunt graves gwerras cum duce Brunswicensi et comite de Anhalt. Nam gravi cum potencia et manu forti terram Plissene et Orientalem in borgwardo Grotzik, Liptzk, Aldinborg, quam nuper imperator Fredericus cum filia sua Margareta ipsi Alberto Thuringie lantgravio donaverat intrantes[a], depredantes et igne vastantes. Medio tempore prefati principes Missnenses[b] fratres exercitum copiosum congregantes a terra Missnensi et aliunde ipse Theodericus cum fratre suo Frederico inimicos suos fugientes de terra eorum ad propriam eorum terram sunt eodem prosecuti[a] vestigio, quos cum preda omnes una cum duce Brunswicensi et comite de Anhalt captivarunt et leti de victoria revertentes, Theodericus marchio missam perpetuis temporibus omni die de beata virgine decantandam in Liptzk instituit ad altare beate virginis ibidem. Hic Hinricus senio confectus divisit filiis suis regnum, dum adhuc viveret. Nam Albertum seniorem Thuringie prefecit, Theodericum marchionem Misne et Lusacie, Landisberg et dominium in Grotz constituit. Dresden, Hayn cum pluribus castris Frederico iuniori filio commisit.

+ f. CCLXVII a. — Theodericus dictus Dingwis, marchio de Landisberg et de Misna[a], captivatus fuit a Sifrido comite de Anhalt dolose isto modo et omnino contra honorem. Nam idem Sifridus comes de Anhalt et Bernhardus frater ipsius cum exercitu et ministerialibus et capitulo Magdeburgensis ecclesie sunt vacantes circumvallabant quoddam[b] castrum Reyne, quod cum videntes se expugnare non posse et adversariis plurimum timentes

Margin notes:

Missn

habuerunt

a) intrans c.

b) Missn

a) eod. iterum add.

] in ecclesia beati Thome

a) Missne

b) qddam c.

expugn.